


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

[Nm-A 7052]

Leibn. Marg. 230

BIBLIOTHECA
REGIA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

p. 2 p. 22 p. 26 p. 30 p. 39 p. 52

p. 97 p. 181 p. 193 p. 200 p. 235 p. 251 p. 265

1032 1040 1057 1073 1077 1081


Randbemerkungen Leibnizens. pp. 2, 39, 867, 1134

Malebr.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

SOLVTIO PROBLEMATIS
A R. P. MARINO MERSENNO MINIMO PROPOSITI.

Datis tribus quibuſcumq; magnitudinibus, rationalibus vel irrationalibus, datiſque duarum ex illis Logarithmis, tertiæ Logarithmum Geometricè inuenire.

DVO

A proponente de hac Propoſitione pronuntiantur.

VNVM

Quòd forſitan longè difficiliorem quam ipſa Quadratura ſolutionem requirat:

ALTERVM

Quòd Quadratura Circuli à R. P. GREGORIO A Sto. VINCENTIO exhibita, abeat in illud necdum ſolutum Problema.

Quibus videtur indicare, ſolutionem Problematis de Quadraturâ Circuli, expeditam fore, ſi defectus ſuppleatur, quem in ſolutione Problematis à ſe propoſiti conſiſtere iudicauit.

AVCTORE

P. ALFONSO ANTONIO DE SARASA SOCIETATIS IESV.



ANTVERPIÆ,
Apud IOANNEM & IACOBVM MEVRSIOS.
ANNO M. DC. XLIX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [5] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [6] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [7] - -

PUBLIC DOMAIN

PRÆFATIO.

INcidi nuper in Censuram quandam, quam R.P. MARINVS MERSENNVS, libro quem de Reflexionibus Physico-mathematicis inscribit; quâ, de subtilissimo opere R.P. GREGORII A Sto. VINCENTIO è Societate IESV, quod nuper summâ omnium admiratione applausuque prodiit, quid sentiret, palam euulgauit. Scripto eam amicus quidam comprehensam, huc transmiserat, cum librum ipsum æquè commodè non posset: quam cum quasi temerè abiectam, & veluti neglectam fortè inspicerem, famamque interim incomparabilis in Geometriâ viri viderem si non obteri, saltem apud Geometriæ non adeò peritos aliquousque obscurari, certè non negligenda penitùs res visa tum est, sed digna omnino quam scripto refellerem ego, cùm eam non magni se facere R.P. GREGORIVS satis ostenderet; vt omnibus in eam qui inciderent, fieret manifestum, iniuriâ minimè ferendâ, hominis tam bene de Geometriâ meriti incomparabiles labores, tam indignis modis contemni, ac veluti dilacerari.

Illud tamen vacillantem me, dubitantemque an responsione digna res esset, planè à sententiâ reuocauit, quod cum Geometricæ cuiusdam Propositionis mentionem faceret, à quâ tamen stabilimentum omne, qualiscumque Censura illa petere videbatur, satis officio meo facturus mihi viderer in caussâ Geometricâ, si illa ipsa tantummodo, prout expetitur, solueretur: stare enim sic suum honorem videbam Quadraturæ Circuli, quam R.P. GREGORIVS A Sto. VINCENTIO, publici iuris fecit, cùm aliam nullam difficultatem ad rem quæ faceret, hoc est Geometricam, in eâ rectè percipiendâ, sibi Mersennus conqueratur obuolutam.

Operæ pretium tamen erit Censoris verba his attexere, vt quam parum Geometricè concepta sit & expressa, in ipso vestibulo, æquus Lector intelligat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [8] - 3
PUBLIC DOMAIN

CENSVRA R. P. MARINI MERSENNI

Quam libro Reflexionum Physico-mathematicarum inseruit. Pag. 72.

A Nostris autem Phœnomenis editis, conatus ingens in inueniendâ Circuli Quadraturâ, labore improbo impensus est, & decem libris explicatus, quo Proportionalitates nouo modo deducuntur: quippe non solum rationes similes, sed etiam dissimiles inter se comparat. At verò cum neque dederit Quadraturam eo modo quo solet à Geometris expectari, cum in eâ exhibendâ, longè quam ipsa Quadratura difficiliora supponat, vel postulet; neque meminerit vllatenus Geometriæ per Indiuisibilia Eruditissimi Bonauenturæ Cauallerij, quandoquidem primus illam per Indiuisibilia methodum edidit, qui tamen illi præluxisse videtur, nostris Geometris displicuit. Qui præterea nonnihil in illo opere requirunt, vel arguunt; idq; præsertim quod cum Opus suum Quadraturæ Circuli specioso, superboq; titulo insignierit, nihil tamen quod ad rem faciat, præter id quod eâ in re hactenus inuentum est, protulerit. Quippe in illud abit necdum solutum Problema, quodq; forsitan longè difficiliorem quam ipsa Quadratura solutionem requirit: Datis tribus quibuscumq; magnitudinibus, rationalibus, vel irrationalibus, datisq; duarum ex illis Logarithmis, tertiæ Logarithmum Geometricè inuenire.

Hæc R. P. Marini Mersenni sententia, totidem expressa verbis, hoc est singulis, & omnibus. Contemni quidem poterant omnia, quæ totâ Censurâ continentur, imò & contemnuntur à peritis: silere tamen omnino, non videbatur consultum; saltem ad Geometrica responsum oportuit, cum inter multos versemur hodie, quibus silentium ipsum, erroris deprehensi videtur esse, tacita quidem, sed indubitata confessio.

Conabimur igitur ad Problema Propositum respondere, illudque supplere quod ad absolutam circuli dimensionem Mersennus deesse suspicabatur: & hac occasione quorundam dubiis faciemus satis, quibus aliquæ propositiones Quadraturam spectantes, obscuriores visæ sunt.

PARS

PARS PRIMA.


Expenditur, determinatur, & soluitur legitimè determinatum

PROBLEMA


Propositum à R. P. Marino Mersenno Minimo.

DAtis tribus quibuscumq; magnitudinibus rationalibus vel irrationalibus, datisque duarum ex illis Logarithmis, tertiæ Logarithmum Geometricè inuenire.

LOgarithmorum ea conditio cùm sit, vt non nisi seriei magnitudinum continuè proportionalium ritè affigantur, proinde postulat Problema præsens, vt, si exposita sit quæuis series continuè proportionalium A, B, C, D, &c. in eâque assumantur quæuis magnitudines A & C, quarum Logarithmi sint dati, assumatur autem quæuis magnitudo L, Geometricè determinetur, quota sit L magnitudo in ea serie quantitatum in continuâ ratione constitutarum, in quâ sunt magnitudines A & C: determineturque præterea quotæ & illæ sint in eadem serie. Hoc certe si præstiterimus solutum erit quod proponebatur.



Verum illud expendendum est imprimis, an Problema prout propositum est vniuersim, & illimitatè, rectè problematis nomine indigitari possit: nam si ἀδύνατον esse quodam in casu demonstrauero, euicero certè, non rectè neque Geometricè fuisse propositum.



Vt igitur clarè procedamus, percipiamurque, exponatur series aliqua quantitatum quæ sint in eadem analogia A, B, C, supponamusque eam progressionem vtrimque promoueri, scilicet per diminutionem quantitatum in terminis D, E, &c. & per incrementum eiusdem seriei per terminos F, G, &c. exponaturq; quæuis quantitas L. De hac magnitudine L plura quæri possunt, ac illud imprimis

Primò. An illa sit vna è numero magnitudinum quæ sunt in progressione seriei expositæ rationis G ad F, siue an ratio G ad L sit aliquoties multiplicata, v.g. triplicata, quintuplicata, centuplicata rationis G ad F, aut F ad G, si L maior sit quam G.

Secundò. An aliæ series magnitudinum possint exhiberi, quæ singulas harum quantitatum quæ sunt in serie A, B, C, aut G, F, A, &c. contineant, sic vt ratio A ad B, item B ad C, &c. sit duplicata, quintuplicata, centuplicata, &c. rationis quam habet prima ad secundam alterius seriei intermediæ.

Tertiò. An posito quod quantitas L non contineatur in serie A, B, C, possit ea reperiri in aliâ quâdam serie progressionum, quæ totam A, B, C, D seriem dicto modo complectatur.

Quartò. An posito quod quantitas L, in vnâ serie progressionum harum exhiberi possit, in omni serie Propositâ possit reperiri, si ita multiplicetur numerus serierum in infinitum, vt posterior semper includat superiores.

G F A B C D E

L


Ex quibus omnibus fiet manifestum, quòd si datæ sint A & C quantitates, earumque Logarithmi, & tertia item data sit L, quæ in serie nullâ esse possit in qua sunt A & C quantitates, quantumcumque series illa extendatur aut diuidatur aut multiplicetur (quod fieri posse demonstrabitur) non posse in hoc casu inueniri Logarithmum quantitatis L, ac propterea malè propositum esse Problema. Atque ex hoc ipso limitationem inueniemus, quâ constringi Problema debuerat, sicque in ordinem redactum ad Geometricam constructionem reuocabimus, quod nullis videbatur legibus posse coërceri.

Vt autem hisce quæsitis Geometrico rigore faceremus satis, potissima doctrina Partis quartæ l. 7. de Hyperbola, ex Opere Geometrico R. P. Gregorij, repetenda hîc foret; fundamenta enim doctrinæ quę Logarithmos complectitur inibi continentur. Sed quia nimis longum id foret, statui tres quatuorve Propositiones hisce inserere, quæ instituto nostro faciant satis. Demonstrationem ipsam non apponimus breuitatis gratiâ, propositionem ipsam exposuisse contenti; vt quibus ipsum Opus Geometricum R. P. Gregorij ad manum non fuerit, intelligant nihilominus quænam isthic veritas proponatur; sicque demonstrationes nostræ, in quibus illæ citabuntur, clariores euadent, manifestiorque fiet veritas.

PROPOSITIO PRIMA.

DAta quauis serie linearũ AB, AC, AD, AE, AF, AG, &c. quę eandẽ rationem continuent AB ad AC, erigantur ad angulos rectos lineæ AG punctis G, F, E, D, C, B aliæ rectæ nimirum GN, FM, EL, DK, C, I, BH, quæ sint in eadem ratione cum lineis AB, AC, AD, AE, AF, AG.

Dico puncta H, I, K, L, M, N, &c. esse ad Hyperbolam cuius asymptoti sunt AV, AG, quæ ad rectos angulos sibi inuicem eriguntur.



Demonstratio.

PAtet ex 298. lib. de Hyperbola. omnia enim rectangula AH, AI, AK, AL, AM, AN æqualia sunt.

Corol-


Corollarium.

DAtâ igitur ſerie continuè proportionalium linearum O,P,Q,R,S,T,&c. datiſque lineis A V, A G angulum quemcumque continentibus facilè in lineâ A G inuenientur puncta B, C, D, E, F, G, &c. è quibus eductæ B H, C I, D K, E L. &c. æquales quidem lineis O,P,Q, &c. ſingulæ ſingulis, parallelæ autem ad A V, terminentur ad eandem Hyperbolam, cuius aſymptoti ſint A V, A G. nam ſi ſumantur è lineâ A V rectæ, quæ ſint æquales, T,S,R,Q,P,O. ſcilicet A β, A γ, A δ, A λ, A θ, &c. Deinde linea quæuis A G aſſumatur quæ diuiſa ſit ſecundùm eandem rationem, ſecundùm quàm diuiſa eſt A V in β, γ, δ, λ, ω, ex punctis autem β, γ, δ, λ, ω, θ ponantur æquidiſtantes rectę A G, ſimiliter ex punctis B, C, D, E, F, G erigantur lineæ quæ æquidiſtent A V, concurſus harum parallelarum aſsignabunt puncta Hyperbolica H, I, K, L, M, N: eruntque H B, I C, K D, L E, M F, N G, æquales rectis O, P, Q, R, S, T.

PROPOSITIO II.

EAdem figurâ aſſumptâ, ſint rurſus A V, A G aſymptoti hyperbolæ H I K N: & ponantur B H, C I, G N parallelæ aſymptoto A V, auferentes quædam ſegmenta hyperbolica H B C I, I C G N.

Dico quod ratio H B ad I C toties multiplicet rationem I C ad N G, quoties ſuperficies H B C I, (quam commoditatis gratiâ deinceps vocabimus ſuperficiem H C) continet ſuperficiem I G; aut contra ſiue quod idem eſt. Dico quod ratio H B ad I C toties multiplicata ſit rationis I C ad N G, quoties ſuperficies H C continet ſuperficiem I G, aut contra.



DEmonſtrationem vide l. 7. de Hyperb. Prop. 125. & 129. Operis Geometrici.

PROPOSITIO III.

IIſdem poſitis:


Si lineæ H B, I C, K D, L E, M F, N G, &c. ſiué quod in idem recidit ſi lineæ A B, A C, A D, A E, A F, A G, &c. continuè proportionales fuerint.

Dico ſuperficies omnes hyperbolicas H C, C K, K E, E M, M G, &c. æquales eſſe. Et ſi ſuperficies hyperbolicæ per lineas H B, I C, K D, &c. aſympto-

asymptoto AV parallelas determinatæ, æquales fuerint inter se, dicò omnes lineas HB, IC, KD, LE, &c. item & omnes lineas AB, AC, AD, AE, &c. continuè proportionales esse.

DEmonstrationem habes l. 7. de Hyperb. Prop. 130. sequiturque ex præcedente

Scholion.



SEd quorsum hæc inquies? ambages non quæro, ad Logarithmos te duco, licèt valde disparata videantur hæc à scopo nostro, breuiter igitur eam doctrinam, Logarithmos comprehendere, sic ostendo.

Assumatur rursus eadem figura. Sitque series aliqua magnitudinum O, P, Q, S, T in continuâ analogiâ existentium, quarum Logarithmi sint 6,7,8,9,10. &c. qui quidem numeri eodem semper sese superent excessu, secundum doctrinam Logarithmicam. Assumptâ igitur quâdam hyperbola HIN, cuius asymptoti sint AV, AG, constituantur ad eam lineæ HB, IC, KD, LC, MF, NG, &c. parallelæ quidem ad asymptoton AV, æquales vero lineis O, P, Q, R, S, T singulæ singulis, quod quidem per Corr. primæ huius facile fiet. Erunt igitur per tertiam huius omnes superficies HC, CK, KE, EM, MG æquales inter se. Vnde si continuetur ratio IC ad HB, fiatque eidem proportionalis XZ, eaque per Corr. primæ huius ad eandem hyperbolam constituatur, erit & superficies XB æqualis superficiebus HC, CK, &c. vnde tota superficies hyperbolica XG eodem excessu excedit superficiem hyperbolicam HG, quo superficies hyperbolica HG superat superficiem IG; & rursus superficies hyperbolica IG eodem excessu superat superficiem KG, & sic deinceps. Vnde loco numerorum 6,7,8,9,10,11, &c. qui erant Logarithmi magnitudinum O, P, Q, R, S, T, assumere poterimus quantitates hyperbolicas XG, HG, IG, KG, LG, MG, aut potius MG, LG, KG, IG, HG, XG. aut si hyperbolæ mentionem fieri non vis rationes MF ad NG, LE ad NG, KD ad NG, IC ad NG, HB ad NG, XZ ad NG, cum hæ quantitates, & consequenter rationes, non minùs æquali sese inuicem superent excessu, quàm numeri Logarithmici qui assumpti fuerunt. Quare naturam Logarithmicam cum suâ terminorum continuatione & excessu, vides Hyperbolę ad amussim accommodatam; vt iam loco numerorum, liceat has partes hyperbolicas, aut rationes dictas linearum assumere.

Vt igitur nos accingamus tandem ad solutionem illarum difficultatum, quæ initio fuêre propositæ, sequêtes formo propositiones. Ac primam quidem, in quâ exigua est difficultas, etiam hîc soluere placuit, vt tota materia per hyperbolicas hasce proprietates, quas iam proposui, quasque deinceps persequimur, absoluatur.


PRO-

PROPOSITIO IV.

DAta ſit ſeries linearum A,B,C.D,E, &c. continuata ſecundum rationem A ad B. Data ſit inſuper quæuis F.

Oporteat oſtẽdere an F exhiberi poſſit in ſerie rationis A B C vtrimque ſi opus fuerit producta, ſecundum rationem maioris inæqualitatis A ad B, vel minoris B ad C.

Conſtructio & Demonſtratio.



SIt ſeries M G,M H,M I, M K ſimilis ſeriei E,D,C,B,A: ſumptiſque M λ, M Z, M O,M N,quæ ſint æquales E,D,C,B,A,erigantur G P,H V,I X,K β,L δ parallelæ rectæ M N, quæ concurrant cum rectis N P,O V,Y X,Z β, λ δ quæ æquidiſtant M L,in punctis P,V,X,β,δ: erunt hæc puncta vt dictum eſt ad hyperbolam, cuius aſymptoti ſunt M N,M L : oſtendere igitur oportet an F ſit in ſerie A,B,C, D,E,&c. hoc eſt in ſerie M N,M O,M Y,M Z,M λ. Fiat rectangulum ſuper F (poſito quod N M L angulus ſit rectus) & alia recta Q, æquale M P rectangulo: ſumpta deinde M S quæ ſit æqualis Q, erigatur S R æqualis F parallela M N,erit punctum R ad hyperbolam P β δ,cum M R rectangulum æquale ſit M V rectangulo. vel igitur punctum R eſt inter puncta P, & V, vel eſt ipſum punctum P, aut V (quod antem dico de P,aut V intellige de quibuſuis duobus punctis V X vel β δ, &c.) Quod ſi medium eſt punctum R inter P,& V,igitur recta R S,hoc eſt F, non eſt aſſignabilis in tota ſerie progreſſionis B,C,D,E. hoc eſt in ſerie M O,M Y,M Z, M λ, &c. nam omnes quæ ſequuntur V H ſunt ſemper minores quàm ſit, V H, cumque R S media ponatur inter P G,V H hinc maior eſt R S quam V H,& conſequenter maior quauis lineâ quæ minor eſt quã ſit V H, quales ſunt omnes X I, β K,δ L, &c.ſi autem continuetur ratio V H ad P G vt ſint proportionales V H, P G,λ ϖ,tunc fiet proceſſus à minore ad maiorem. quare cum recta R S minor ſit quàm P G multo minor erit quam ſit λ ϖ,&c. vnde neque recta R S hoc eſt F eſt in ſerie rationis V H ad P G,& P G ad λ ϖ, &c. manifeſtum igitur eſt quod non contineatur F in ſerie rationis A,B, C,D,E, &c. niſi recta Q hoc eſt M S æqualis ſit vni linearum progreſſionis M G ad M H.

PROPOSITIO V.

A B C D E

L F M H N I O K P

SIt rurſus data ſeries continuè proportionalium A,B,C,D, &c.

Dico infinitas exhiberi poſſe ſeries, quarum partes ſint lineæ A, B,C,D, &c. ſic vt ratio A ad B ſit duplicata vel triplicata vel quintuplicata, vel centuplicata, &c. rationis quam habet prima ad ſecundam alterius ſeriei exhibitę.


Demonſtratio.

SInt lineæ F,H,I,K mediæ inter A,B,C,D, & fiant L,M,N,O,P æquales rectis A,B,C,D,E. erunt igitur L ad M,M ad N,N ad O, hoc eſt A ad B, B ad C, C ad D in duplicata ratione L ad F, ac propterea A,B,C,D, &c. erunt partes ſeriei rationis L ad F. Sed eodem modo ſi ponantur mediæ inter terminos huius ſeriei L, F,M,H,N, &c. ſeries hæc ſecunda pars erit ſeriei illius tertiæ, ac propterea & ſeries A,B,C,D pars erit ſeriei tertiæ; cum oſtenſa ſit eſſe pars ſecundæ: cum autem infinitæ medietates poſſint aſſignari inter duos terminos, imò & infinitæ binarię mediæ, ternariæ, quaternarię, &c. patet ſeriem A,B,C in infinities infinitis ſeriebus aſſignari poſſe cuius ſint pars, prout propoſitum erat demonſtrare.

PROPOSITIO VI.

SInt A B, A C aſymptoti hyperbolæ D F H, & poſitæ ſint tres lineæ D E, F G, H C quæ æquidiſtent aſymptoto A B auferantque ſuperficies hyperbolicas D G & G H, ita tamen vt ratio ſuperficiei D G ad G H, eam obtineat rationem quam latus quadrati ad ſuam diametrum, ſiue vt ſuperficies illæ ſint incommenſurabiles.

Dico lineam H C non eſſe in vlla omnino ſerie in quâ reperiuntur lineæ D E & F G.



Demonſtratio.


SI enim in aliquâ ſerie rationum continuè proportionalium ſint tres illæ lineæ, ponantur eſſe in ſerie rationis D E ad I K, & I K ad F G; F G ad L M; L M ad N O; N O ad H C. itaque cum continuè proportionales ſint D E, I K, F G, L M, N O,

NO,HC,per tertiam huius erunt ſuperficies DK, KF, FM, MN, NC inter ſe æquales,vnde ſuperficies DK communis eſt menſura ſuperficiei DG, & GH. ſed GH ſuperficies poſita erat ad ſuperficiem DG vt quadrati latus ad eius diametrum,igitur & numero exponibile eſt quoties diameter quadrati,latus ſui quadrati contineat,adeoque eæ magnitudines ſunt commenſurabiles; quod eſt abſurdum.non eſt igitur, HC in ſerie in qua reperiuntur duæ DE,FG. Quod erat demonſtrandum.

PROPOSITIO VII.

SInt denuo vt ante AB, AC aſymptoti hyperbolæ DFH; & lineæ DE, FG, HC æquidiſtantes aſymptoto AB intercipiant duas ſuperficies DG,GH commenſurabiles.

Dico DE,FG rectas eſſe in ſerie alicuius rationis,in quâ poteſt exhiberi recta HC.



Demonſtratio.


CVm enim DG,GH ſuperficies commenſurabiles ſint, communem aliquam maximam menſuram habebũt.ſit ea ſuperficies OH,determinata per lineam ON parallelam aſymptoto AB; quę tertio v.g. contineatur in ſuperficie HG. Itaque per ſecundam huius ratio FG ad HC,erit triplicata rationis NO ad HC. Sed eadem ſuperficies bis v.g. repetita menſurabat ſuperficiem DG, igitur cum ſuperficies DG bis contineat ſuperficiem OH, etiam ratio DE ad FG, bis continebit rationem NO ad HC; ſiue quod in idem incidit, ratio DE ad FG, erit duplicata rationis NO ad HC per eandẽ. ſed & eiuſdem rationis erat ratio FG ad HC triplicata; ergo ratio DE ad FG duplicata eſt eius , cuius ratio FG ad HC eſt triplicata. Itaque cum FG linea vtrique rationi communis ſit, manifeſtum eſt lineam HC eſſe in ſerie rationis in qua ſunt lineæ DE, FG, quod erat demonſtrandum.

Et id quidem manifeſtius adhuc apparebit,ſi per Corr. primæ huius. inter DE & FG conſtituatur KI media proportionalis quæ ad eandem hyperbolam terminetur. Erit enim ratio DE ad IK vt NO ad HC. Item ſi tertio continuetur ratio eadem IK ad FG,per rationes FG ad LM,LM ad NO, & NO ad HC,erũt per tertiam huius omnes ſuperficies DK,KF,FM,MN,NC æquales inter ſe, ac lineæ DE,IK,FG,LM,NO,HC ideo continuè proportionales. manifeſtum igitur eſt iterum DE,FG lineas eſſe in ſerie in qua eſt HC,& quidem in ſerie rationis NO ad HC,ſiue DE ad IK,quod erat demonſtrandum.

PROPOSITIO VIII.

POsitis AB,BC hyperbolæ DFH asymptotis ; vni eorum constituantur æquidistantes rectæ DE,FG,HC, continentes segmenta commensurabilia DG, GH.

Oporteat horum segmentorum communem maximam mensuram exhibere.



Constructio & Demonstratio.

PONatur minor esse ratio DE ad FG, quam FG ad HC (nam si eadem sit ratio, erunt superficies ambæ æquales per tertiam huius) minor itaque erit superficies DG quam superficies GH per secundam huius. Continuetur ratio DE ad FG quoties potest, intra terminos DE & HC, scilicet faciendo vt DE ad FG, sic FG ad IK, IK ad LM, LM ad HC, idque per Corr. primæ huius. quod si tandem aliqua LM est ad HC vt DE ad FG, tunc superficies ipsa DG est mensura maxima quæ seipsam metitur & superficiem GH, cùm omnes superficies DG, GI, IM, MH æquales sint per tertiam huius.

Quod si verò ratio DE ad FG quantum potest continuata per rationes FG ad IK, IK ad LM inter terminos DE & HC, relinquat rationem LM ad HC minorem quam sit ratio DE ad FG (maiorem enim relinquere non potest, alioquin non esset series rationis DE ad FG continuata quoties continuari potest intra dictos terminos, quod est contra suppositum) tunc vtendo praxi qua Euclid. lib. 10. prop. 3. inuenit communem mensuram maximam duarum quantitatum commensurabilium, ratio LM ad HC quæ quidem minor est ratione DE ad FG, auferatur quoties potest à ratione DE ad FG, donec relinquat rationem NO ad FG: quæ si æqualis fuerit rationi LM ad HC, erit inuenta superficies NG communis maxima mensura. quod si rursum ratio NO ad FG minor fuerit ratione LM ad HC, auferatur rursus ratio NO ad FG quoties potest à ratione LM ad HC idque semper fiat alternâ detractione, prout Euclides in sua constructione facit, donec tandem relinquatur aliqua vltima PQ ad HC quæ sit vt NO v.g. ad FG. Dico superficiem PC esse mensuram maximam communem superficierum DG, & GH.

Post alternas illas rationum detractiones manserint tandem rationes vltimæ æquales NO ad FG, & PQ ad HC. Cum itaque ratio LM ad PQ multiplicet rationem NO ad FG, sic vt numeris sit exponibile quoties ratio LM ad PQ multiplicet rationem NO ad FG, erit quoque numeris exponibile quoties ratio

tio LM ad HC multiplicet rationem PQ ad HC. Sed rursus numeris erat exponibile quoties ratio DE ad NO multiplicaret rationem LM ad HC; igitur & numeris exponi potest, quoties ratio DE ad NO multiplicet rationem PQ ad HC. itaq; cũ ratio NO ad FG æqualis sit rationi PQ ad HC ex suppositio, etiam in numeris exponetur, quoties ratio DE ad FG multiplicet rationem PQ ad HC. igitur exponi potest per numeros, quoties superficies DG contineat superficiem QH, per secundam huius; ac propterea superficies QH metitur superficiem DG. Iam vero quoniam superficies FK, KL, LQ æquales sunt singulę superficiei DG per tertiam huius, cum ex constr. ratio DE ad FG continuata sit per rationes FG ad IK, IK ad LM, LM ad PQ; etiam ergo superficies QH metietur totam superficiem GP: sed & superficies QH metitur seipsam, igitur superficies QH, totam superficiem GH metitur. Quod erat primo demonstrandum.

Quod autem superficies QH sit maxima mensura superficierum DG, GH, sic quidem ostendetur. Si enim superficies QH non sit maxima communis mensura, ponatur si fieri potest maior superficies SH, determinata per lineam SR asymptoto BA parallelam, quæ vtramque commensuret. Igitur superficies HS aliquoties repetita commensurat superficiem GH, vti & superficiem DG. sed & DG superficies aliquoties repetita metiebatur superficiem GL per secundam huius, (nam ex constr. ratio DE ad FG aliquoties continuata, faciebat rationem FG ad LM) igitur & HS superficies commensurat superficiem GL. sed & eadem superficies HS mensurabat superficiem GH, igitur eadē superficies HS aliquoties repetita, mensurat superficiem MH. Sed ratio LM ad HC aliquoties repetita constituebat rationem DE ad NO, igitur per secundam huius, superficies HS aliquoties repetita mensurat superficiem DO. Sed eadem superficies HS mensurabat quoque totam superficiem DG; igitur etiam superficies HS mensurabit superficiem NG, hoc est ex constr. & secunda huius, superficiem HQ, maior minorem, quod est absurdum. Non igitur alia quam HQ superficies est communis maxima mensura superficierum DG, GH, quod secundo loco demonstratum oportuit.

Corollarium primum.

EX his facilè intelliges idem esse petere mensuram maximam communem superficierum DG & GH, quod petere rationem aliquam PQ v.g. ad HC, cuius rationes DE ad FG, & FG ad HC sint aliquoties multiplicatæ.


Corollarium secundum.

HInc etiam manifestum est, quod si ratio nulla reperiri possit per alternam illam rationum detractionem, cuius vtraque ratio DE ad FG, & FG ad HC sit aliquoties multiplicata, superficies DG, GH esse incommensurabiles.

PROPOSITIO IX.

DAtâ serie progressionis A, B, C, D, & quauis magnitudine F, quæ non sit in serie rationis A, B, C, D. determinandum est an in vllâ serie possit reperiri F, cuius seriei pars sit series A, B, C, D.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [18] - 13
PUBLIC DOMAIN




Constructio & Demonstratio.

COnstituantur rectæ G H, G I ad angulos rectos, fiatque vt B, ad A, ita G L ad G N: ex punctis autem L & N erigantur L K & N M æquales quidem aut proportionales lineis A & B, parallelæ verò ad G H, erunt per primam huius K, M puncta ad hyperbolam cuius asymptoti sint H G, G I. denique fiat vt F ad A, ita G L ad G I, erectaque I O æquali ipsi F, aut certè quæ ad K L eandem rationem habeat quam F ad K L, parallela autem sit ad G H, erit & O punctum ad eandem hyperbolam.

Dico si superficies K N commensurabilis est superficiei N O, quod F sit in aliquâ serierum in qua tota series A, B, C, D constitui potest vt pars. Si verò superficies K N, N O incommensurabiles sint, in illo casu linea F in nulla serierum inueniri poterit in qua sit series A, B, C, D vt pars. Quod quidem ex præcedentibus est manifestum. Demonstrauimus enim Prop. 7. cum superficies K N, N O commensurabiles sunt, rectas K L, M N esse in aliqua serierum in qua possit exhiberi F. cum verò duæ illæ superficies incommensurabiles sunt inter se, tũc etiam ostensum est Prop. 6. quod magnitudo O I numquam possit exhiberi in vllâ serierum quæ seriem A, B, C, D contineat. Dedimus autem praxim Prop. 8. & in Coroll. secundo quomodo inuestigari debeat an superficies K N commensurabilis sit superficiei N O. determinatũ est igitur an F sit in vlla serie reperibile in qua erit assignare seriem A, B, C, D, quod erat faciendum.

Scholion.



ADmiratione certè dignum videtur, quod datâ progressione seriei A, B, C, D, & magnitudine aliqua F, quòd ea quantitas talis esse possit, vt nescio quo fato, excluſa sit non solum à serie A, B, C, D, sed vt etiam ita excludatur vt in nulla serie inueniri possit, quæ seriem A B C D complectatur vt partẽ. Nam termini illi A & B, non solum assignari possunt in serie rationis A & B, sed & in serie rationis, cuius ratio A ad B erit duplicata, triplicata, centuplicata, millecuplicata & sic in infinitum per Prop. 5. huius. nam inter A & B, & B, & C, interseri possunt G & H mediæ proportionales, tunc alia series orietur A, G, B, H, C, I, D rationis A ad G, cuius rationis ratio A ad B erit duplicata: item interseri possunt inter A & B duæ mediæ K & L, itẽ inter B & C duæ mediæ M & N, & tunc orietur series A, K, L, B, M, N, C, & c. rationis A ad K, cuius ratio A ad B erit triplicata, & sic in infinitum atque


atque adeò ſtupendum planè quod Geometra ſibi perſuadere cogatur, dari poſſe lineam, aliquam determinatam, cui in numero linearum infinities infinitarum in ſerie continuè proportionalium, dari non poſſit linea æqualis, etiamſi per totam æternitatem in ſeriebus ſemper nouis & nouis eam requiſieris, modò prior ſeries ſemper ſit pars nouæ ſeriei cùm tamen per interpoſitas medias ſemper ad datam F magis & magis accedatur. Nihilominus rigor Geometricus, hunc aſſenſum à Geometrâ extorquet.

Atque hinc patet vlteriùs non rectè Ploblema à Merſenno fuiſſe propoſitum, *Datis tribus magnitudinibus; datiſq; duarum Logarithmis, tertiæ Logarithmum Geometricè inuenire*; planeque contra naturam Logarithmorum id peti; quod abſolutè ſemper exhiberi non poteſt: nam cum Logarithmi ſeriem continuè proportionalium ſemper ſupponant, neque quantitatibus affigantur; niſi iis quæ aliquem in aliqua ſerie locum obtinent, certè perperam petetur Logarithmus eius quantitatis, quæ in nullâ ſerie eſſe poteſt in qua ſunt duæ quantitates datæ, quarum Logarithmi ſunt dati, talem autem poſſe eſſe quantitatem tertiam datam ſatis ſuperque iam eſt demonſtratum.

Vt igitur legitimo modo propoſitum ſit Problema, conuenienterque ad Logarithmorum naturam & exigentiam, ſic illud determinare debuiſſet, quomodo ſequenti propoſitione determinamus, determinatumque ex dictis ſoluimus.


PROPOSITIO X.

DAtis tribus magnitudinibus A B C quæ in vnâ eademque ſerie cõtinuè proportionalium exhiberi poſſunt, datiſq; duarum è tribus magnitudinibus Logarithmis, ſcilicet A & B, tertiæ C Logarithmum Geometricè aſſignare.



Conſtructio & Demonſtratio.

QVoniam rationes A B & B C ſupponũtur eſſe in vnâ eademq; ſerie, igitur poteſt aliqua ratio exhiberi quæ aliquoties per ſeipſam multiplicata, producat rationem A ad B, & præterea aliquoties etiam per ſeipſam multiplicata conſtituat rationem B C: hoc enim proprium eſt duabus rationibus quæ in eâdem ſerie ſunt conſtitutæ. Inueniatur itaque per octauam propoſitionem talis ratio, quæ verbi gratia dicatur eſſe eadem cùm ratione M N ad L F: eâ habitâ, inquiratur quoties ratio A ad B multiplicet rationem M N ad L F: item quoties ratio B ad C multiplicet eandem rationem M N ad L F: erit itaque vt numerus qui deſignat quoties




quoties ratio A ad B multiplicat rationem M N ad L F, ad numerum qui significat quoties ratio B ad C multiplicat rationem M N ad L F, ita differentia inter Logarithmos magnitudinum A & B, ad differentiam inter Logarithmos magnitudinum B & C, quare cum tria ex illis quatuor assignata sint, etiam quartum notum esse oportebit.

Exemplo res fiet manifestior si secundùm doctrinam positam ad hyperbolam constituantur rationes A B, & B C.

Sint itaque hyperbolæ asymptoti P Q, P F angulum rectum continentes; & fiat vt B ad A, ita P H ad P K, vtque C ad A, ita P H ad P F, assumptis deinde rectis A B C erigantur orthogonaliter ex punctis H, K, F vt rectæ H G, K I, F L æquales sint lineis A, B, C. Quoniam igitur est P H ad P K, vt K I ad H G, & P K ad P F, vt F L ad K I ex constructione, igitur rectangula P G, P I, P L inter se æqualia sunt, ac proinde puncta G, I, L ad eandem hyperbolam sunt, cuius asymptoti P Q, P F. Ponuntur autem lineæ A, B, C hoc est G H. I K, L F esse in eadem serie alicuius rationis, igitur commensurabiles sunt superficies G K, K L. communem igitur habent mensuram illæ superficies, quæ per octauam inuenta ponatur esse superficies N L, quæ verbi gratiâ quater sumpta nimirum L N, N R, R V, V I adæquet superficiem K L, & bis sumpta adæquet superficiem K G. sunt igitur superficies G Y, Y I, I V, V R, R N, N L æquales inter se, & quia toties ratio G H ad I K multiplicat rationem M N ad L F, quoties superficies G K continet superficiem M F, igitur inuentâ P Y mediâ inter P H & P K, erigatur Y X normalis ad P F, vt sit rectangulum P X æquale P G. erit Y X ad hyperbolam G I L, eritque superficies G Y æqualis Y I superficiei; ac proinde erit superficies X K æqualis M F, & si fiat vt Y P ad H P, ita H P ad P E, erigaturque E D vt rectangulum P D sit æquale P G, erit iterum D ad hyperbolam G I L, & consequenter erunt in continua analogia omnes lineæ D E, G H, X Y, I K, T V, R S, M N, L F, ac proinde superficies illis lineis terminatæ æquales sunt. quare superficies D F eodem excessu superat superficiem G F, quo G F excedit X F, & quo X F excedit I F, & sic consequenter. Vnde hæ superficies supplere possunt locum Logarithmorum datorum. quare si Logarithmi dati sunt 6, & 8, erit superficies M F loco Logarithmi 6, & superficies T F loco Logarithmi 10; superficies verò D F Logarithmus est qui inquiritur quantitatis tertiæ. Quia verò perhibentur tria esse data, & quartum inquiritur, assumatur pro primò numerus superficierum æqualium, in quas diuisa est superficies G K. per lineam X Y, qui est 2. Pro secundo sumatur numerus partium æqualium, secundùm quas diuisa est superficies I F, per rectas T V, R S, M N, qui est 4; & pro tertio, sumatur differentia datorum Logarithmorum 6, & 10, quæ est 4, ita diuisa sicut diuisa est superficies G K, scilicet in duas

partes



partes æquales. Quartum igitur requiritur, nempè in numeris interuallum, quòd interiacet inter Logarithmũ B & C: quod quidem hac ratione exhibebitur. Fiat vt numerus partium in quas diuisa est superficies G K, hoc est 2, ad numerum partium in quas diuisa est superficies I F, hoc est 4, ita differentia Logarithmorum 6, & 10, quæ est 4, ad quartum numerũ scilicet 8, & diuidatur differentia Logarithmorum A & B, vt est diuisa superficies G K, nempè bifariam in casu nostro, & Logarithmus medius inter 6, & 10, repertus sit 8, habebiturque series Logarithmorum, in quo reperitur Logarithmus qui requiritur, nimirum 18. Nam si diuidatur differentia inter 10, & 18, quę est 8, secundùm numerum 4, quem exhibuit diuisio superficiei I F in quatuor partes æquales, inuenietur quòd Logarithmus qui quarto loco subsequitur Logarithmum seriei 8 ad 10, qui est 18, sit ille qui postulatus fuit. Solutum igitur est Problema, &c.

LECTORI BENEVOLO.

HAbes hîc, Erudite Lector, ſolutionem Problematis à R.P. Marino Merſenno propoſiti; quod quidem Quadraturâ ipsâ difficiliorem ſolutionem requirere ſuſpicabatur, & cuius ſolutione exhibita ipſius quoque quadraturæ ſolutionem Geometricè expeditam fatebatur. vides autem quàm exactè petitioni eius factum ſit ſatis, cùm & caſus, in quo Problema erat ἀδύνατον, determinatus iam ſit, deſignatumque præterea quo caſu ſolui potuerit, ac tandem legitimè propoſitum, Geometricè, quod petebatur fuerit expeditum.

Fortè quidem non adeo ineptè, neſciet quis cui vſui Problema illud eſſe poſſit prout proponitur, ad Dimenſionem Circuli abſoluendam; verùm vt vt ſit, cùm id à Geometris, poſtulari teſtetur Cenſor, operæ pretium exiſtimaui me facturum, ſi votis eorum hac in parte facerē ſatis. Nam quamuis ad Quadraturam exhibendam cuiquam videri poſſet minùs conducere, nec admodum in rem noſtram facere hoc modo quæ petitur ſolutio, digna tamen fuit quæ Geometricè expediretur, præſertim cùm ſine dubio multorum ingenia torſerit id quod quodam in caſu, ſed iam à nobis determinato, prorſus erat ἀδύνατον. Id ipſum verò cum non niſi ex doctrinâ quam ſubtiliſſimo Opere ſuo Geometrico expoſuerat R.P. Gregorius, fuerit deductum, ſeminaque inibi iam eſſent iacta, ex quibus ſolutio etiam illius Problematis, ſolutique demonſtratio poterat, imò debebat fortaſsis educi, in comperto iam eſt, nihil etiam ex hac parte defuiſſe Operi illi prorſus admirando, quod ad perfectam, abſolutamque Quadraturæ dimenſionem requirebatur. Atque hoc modo Geometricum quod fuit in Cenſurâ illâ, quodque vnicū videbatur reſponſione dignum, Geometricè expediuimus.

Ad cetera Cenſuræ verba quamuis non deſit quod reſpondeam, operæ pretium tamen viſum non fuit æquis rerum æſtimatoribus quidquam reponere, apud quos præclariſsimi Geometræ fama ciuſmodi nubeculis obſcurari minimè poteſt: præſertim cum D. Gregorium Nyſſenum diſertè eleganterque proclamantem audiant, *Dedecus eſſe viro prudenti, non ſanè conuittum audire, ſed ea quæ dicuntur conuitia retorquere.* Quòd ſi in prudentem virum cadere non poſſe iudicet verbis vt altercetur, verbiſque verba tantum vt reponat, certè id longè à Religioſo homine alienum eſſe debere potiori iure iudicaui ego, iudicantque illi quorum etiam nutus obſeruo, cùm non ſine aliquâ charitatis Religioſæ imminutione & diſpendio, id ipſum præſtari poſsit, quantumcumque modeſtè eiuſmodi dicta exagitentur.

Adde, quod cùm Geometrica ſit hæc res, Geometriceque tantum debuerit expediri, mearum partium planè non ſit, imò nec Geometræ vllius, leges à Geometriâ præſcriptas vel ad latum vnguem tranſilire; hoc eſt, quidquam præter veritatis propoſitionem, propoſitæque demonſtrationem adferre. Dudum iam nobis limites illos præſtantiſsimus, Antiquitatique notus Geometra Serenus præſtitutos eſſe docuit Præfat. ad Lib. Primum. *Abſurdum enim*, inquit, *omnino videtur Geometras de Problemate Geometrico ſine demonſtratione quidquam affirmare: oratio enim probabilis, & ſine vllo artificio, à Geometriâ alieniſsima eſt.* Qua propter, ne & ego limites illos tranſgrediar, perperamque multa de Problemate Geometrico ſine demonſtratione vllâ affirmantem videar inſectari, ſuperſedendum mihi fuit labori illi; neque quidquam in defenſionem R.P. Gregorij viſum eſt apponere, cùm eum tam luculenter copioſeque ipſa propugnet, imò & à iudicio Merſenniano planiſſimè abſoluat, vti iam vidimus, quæ Geometris omnibus veneratione eſſe debet, Antiquitas.

Antiquiorum verò veſtigijs inhærere, demonſtrationibuſque verè Geometricis rem vrgere cùm ſibi propoſitum ſemper habuerit Auctor, nihil admodum mouetur dictis illis extra rem, hoc eſt, præter meram Geometriam quæ ſunt. *Non enim poteſt*, vt rectè Seneca, *generoſus animus contumeliam pati*: nec ſanè pati cenſendus eſt, qui non mouetur. neque rectè quidquam pati columnam ſuâ mole ſtantem

tem

tem quis existimauerit, si leui perstringatur afflatu, inconcussa cum sit. Manet inconcussa veritas si verbis tantummodò impetatur, præsertim cùm apud veritatis indagatores ingeruntur, eaque in caussâ, in qua non tam dicentis auctoritas, quàm dictorum dilucida exactaque demonstratio, momentum omne ponduſque solet adferre, imò assensum, etiam inuitis, extorquere.

Verùm auctoritate etiam agendum si foret, plurima ad manum sunt Geometratum encomia, quibus præstantissimum virum extulêre iam pridem, quæque non ex Hispaniâ modo, Italiâ, Germaniâ, Angliâ, Daniâ, imò & ex ipsâ Galliâ, ab Opere euulgato, perquam honorifica perscripsêre; eaque his etiam longo apparatu possem inferere, si id viri de se suisque rebus modestissimè sentientis paterentur modestia, insigniſque quàm præ se tulit semper, animi submissio.

Neque quis mihi succenseat, auctoritatem ipsius viri tam benè de Geometriâ meriti, hac etiam in caussâ, auctoritate si certandum est, auctoritati si opposuero. Certè vir is est qui à quinquaginta ferè annis indefatigabili planè studio, constantiaque prorsus admirandâ Geometriæ semper incubuit: in Belgio, Austriâ, Bohemiâ, Romæ à multis iam annis celebratus: Geometriam non scribendo tantùm, sed & docendo ita prouexit, vt discipuli eius non Louanij modò, sed & Dolæ, Monasterij, Pragæ, Græci, Madriti alijsque locis Mathematicas disciplinas cùm laude docuerint, partim doceant etiam hoc tempore: interim modestus adeò, vt cum eum Archimedem alterum alij, alij Apollonium, Magnum Geometram alij litteris inscriptis, & non immeritò passim compellent, id ipsum non sine rubore perlegat; quodque mirandum magis, nequidem illi vt succenseat, qui, vt nonnumquam fit, calculo quantumuis nigro immerentem designarit.

Sed quid hæc affero, cùm res ipsa clamet tacente me? Certè Proportionalitatum liber, vt alium nullum exhibuisset Auctor, eiusmodi visus est summis viris, eosque motus animorum excitauit, vt non tantùm subtilissimi Geometræ ingenium prorsus obstupuerint, sed & plurimum ei Geometriam ipsam debere ingenuè professi sint sæpiùs, vtpote qui illius limites, nouam quasi inauditamque efformando Geometriam, tantopere prouexerit. Cui enim hactenùs in mentem venit de rationibus similibus dissimilibusque perinde disputare, rationumque quinimo rationes, etiam maximè inter se dissidentium, comparare, reducere, augere, detruncare? Id certè ausu ingenti, parique felicitate aggressus est R.P. Gregorius quod alius nemo, Proportionalitatesque primus hoc modo Geometricè exposuit, deduxit, complanauit. Quæ certè eiusmodi rerum Geometricarum æstimatoribus visa iam sunt, vt inter præclara huius sæculi inuenta merito collocarint, iudicarintque inuidiam ipsam viro gloriam detrahere si cupiat, nequidquam cupere.

Quid alia memorem, quæ toto Opere passim occurrunt præclarissima ingenij monumenta, quæque Antiquitati nihil quidem detrahunt, at nihil cedunt? Certè Progressiones Geometricæ, etiam in infinitum excurrentes, ad Geometricum ab ipso redactæ sunt rigorem, terminisque quod mirere, etiam conclusæ. Varia ex vario Planorum in Plana ductu nouaque effinguntur corpora, explanantur, cubantur quin imò plurima, pleraque verò ad corpora reducuntur quæ notam habeant basim, altitudinemque notam. Stupendam illam Parabolæ cum Archimedæâ Spirali symbolizationem exprimit, quam primus Geometra hîc adinuenit, & ab annis quatuor & viginti diu tamen antè à se inuentam cum summo Geometrarum applausu Romæ exposuit, quod disertis tunc hac de re conscriptis litteris, testimonijsque planum facere possum cùm opus fuerit: dilucidè autem demonstrat, nullam prorsus ab Archimede Pappoque proprietatem quantumuis abstrusam Spirali competere, (competunt autem planè admirandæ) quæ non suo modo Parabolæ accommodetur: adeò vt Spiralem Archimedæam meritò quis dixerit Parabolam esse euolutam. Vngulæ seu segmenti cuiusdam cylindrici cubationē, imò & superficiei tam exoticæ, vtque tota semicirculo semiellipsique clauditur, aream quadrando determinat; imò Vngulæ huius, quod mirabuntur Geometræ, cùm Sphærâ symmetriam, omnimodamque concordiam primus exponit, Sphæroidium, Conoridium item Parabolicorum, Hyperbolicorumque proprietates

tates præcipuas aperit. Varijs expeditisque modis Parabolam quadrat, imò & Hyperbolam ipsam intactam hactenùs indomitamque figuram in Quadrum cogit. Iucundissimas, abstrusissimasque Conorum & Conicarum sectionum (taceo Circulorum, triangulorum, rectangulorum, linearumque) proprietates inuenit, demonstrat, ac demum è Cono suo in quo hactenus delituerant, detractas, ad plana deducit, vereque Geometricis terminis tandem concludit. Conicarum verò sectionum doctrinam, abstrusam hactenus, & non nisi summis Geometris peruiam, exponit adeò dilucidè, vt nullo negotio sine vllo Apollonij adminiculo, à quouis Geometrâ, non minùs quam ipsa Euclidis elementa percipi rectè possint. Quæ certè omnia eiusmodi quiuis æquus arbiter esse iudicabit, vt cùm summis quibusuis componi possint: & licèt talia esse non agnoscat fortasis vnus aliquis, tota certè admiratura ista hæc est retro posteritas, gratulaturque huic æuo talem quod tulerit Geometram, quem Antiquitas ipsa, etiamsi Quadraturam circuli non attigisset quidem, non immeritò suum vellet.

Et in his omnibus, quòd magis stupeas ne Propositionem quidem vnicam ex alienis quasi hortulis studio excerpsit, (excerpsit autem admodum paucas) quàm non immutatâ demonstratione, aut si Problema foret etiam constructione variatâ, propriam fecerit; easque tum quoque laudato Auctoris nomine, Auctori acceptas referat. Studio, inquam, si excerpserit: nam vti limitatum hominis ingenium non est, ita plures in eandem veritatem incurrere potuisse, non negamus. Lege, si placet, quid Pag. 221. ingenuè profiteatur, vbi se in Sereni speculationem incidisse vidit: sed ingenuè nimis; cùm plurima isthic sint à Sereno non proposita, omnia verò aliter demonstrata. Item Lib. 2. ad Prop. 36. cùm eam propositionem à Clauio expositam, alio tamen quàm ipse modo expediisset, disertis verbis asserit suam non esse, sed exercitij gratiâ à se solutam. tum subdit: *Neque enim propositionem statui meis lucubrationibus interserere, quàm diuersi discursus demonstrattone meam non fecero, vel Auctoris nomen in publicum non protulero.* Ne propositionem quidem vnicam etiam à se aliter demonstratam, ab alio proposita modò sit, sine Auctoris nomine protrudere se velle ait: absit igitur, vt religiosissimum virum dolo malo quis suspicetur nomen illius suppressurum, si ita etiam per vmbram sese haberet res, qui ei nouam speculandi materiam suggerendo, facem ad Quadraturæ adyta reseranda prætulisset. Non alienis indiget fulcris qui mole stat suâ; neque alienis sese plumis putidè exornare debet is, cui domi est non curta suppellex, qua plura etiam volumina posset exornare, quemque vita citiùs quam nouæ in Geometriâ veritates, nouaque elucubrandi materia deficient. Quod si ex vngue Leo dignoscitur facilè ex tali opere felicissima P. Gregorij inexhaustaque vena diiudicabitur.

Hæc verò quæ publici iuris iam fecit tanta cum sint, tamque varia, non mirabitur quis in tantam molem Opus hoc excreuisse, cùm singulæ, quas paulo antè recensui, materiæ, iustum Volumen sic quasi solitariè editæ constituere potuissent, etiamsi ad Quadraturas Circuli nullo modo fuissent directæ. Quid autem nocuit simul edi? certè argẽtea aureaq; suppellex vno in atrio concinnè & ex arte disposita, maiorem intuentibus admirationem ingerit, quàm si per partes distracta, varijsque in conclauibus videnda proponatur.

Rursus autem quomodo materiæ illæ hactenus intactæ, aut obscurius saltem propositæ Quadraturis rectè adhiberentur, sic vt Lectorum animis nondum iis satis imbutis plenè satisfacerent, nisi earum natura penitus esset euoluta, enucleateque proposita? id autem nullo modo fieri potuisset, nisi multarum propositionum quasi farragine confarcirentur libri singuli. Præambulum quod Libro secundò præmittit Auctor si placet inspice, illic consilij sui rationem dat. sic habet. *Præsens liber, quem de Progressionibus scribimus, omnino necessarius est ad sternẽdam viam, quàm inimus Circulo ad quadratum reducendo. Non ita tamen hoc velim intelligas, vt omnes omnino Propositiones, quæ in toto eius decursu reperiuntur, ad eum finem requiri credas, sed quod sine vsu huius libri, quoad partes maximè principales, difficulter ad scopum peruenire quis possit: exigebat autem huius Libri argumentum, ad doctrinæ formam*

mam vel leuiter concinnari, & cognatis materiis exornari, ne fœtum imperfectum ederemus. Idem de sequentibus Libris iudicium ferre dignabere.

Vt clariùs tamen facti rationem exponam, dicam omnia. Geometris scribebantur hæc, quibus non sola Quadratura circuli orexin mouet aut explet. alia namque habet Opus hoc, Dimensione Circuli haud inferiora, vti non semel à multis iam annis vir in Geometricis expeditissimus Christophorus Grienbergerus Societatis Iesu, publicè ore litterisque Romæ professus est: quę prætèrquam quòd ad Quadraturam manu deducerent, & quasi viam aperirent, non minorem ipsa plausum, quàm Quadratura merebantur, cum ea planè forent ipsius tunc quidem iudicio, nunc autem & plurimorum qui sine partium studio rem, prout est, diiudicant, quæ cum Antiquorum omnium elucubrationibus poterant comparari.

Iam verò quis merito id ægrè ferre potest, Quadraturæ circuli nomen Operi tam admirando fuisse præfixum? Quadraturam certè si dederit, non poterat id sanè modestioribus explicari verbis, imò sat dignis exponi vocibus haudquaquam potest. Eam se dedisse Auctor, cum Opus ederet, planè iudicabat, iudicatque etiam nunc, imò magis quotidie confirmatur in sententiâ, quidquid aliqui fortasse secus, nescio quo scrupulo, sentiant. Vt quid ergo non planè loqueretur, vt quid distorquendo verba, nimiumque molliendo sententiam, insinuaret dubitare se, quasi causæ suæ vllo modo diffideret?

Quòd si verò etiam theorematicè tantum Dimensionem Circuli absoluisset, ne tum quidem quidquam foret, quod elatiorem esse libri titulum quis posset criminari. Certè Theorema suum Archimedes, quod tribus omnino propositionibus expediuit, Dimensionem Circuli siue Quadraturam indigitauit. neque quisquam id ei à totâ antiquitate vitio vertit. Potuit itaque tres illas propositiones, quæ elegantissimæ licèt sint, solùm Theorema continebant Dimensionem Circuli inscribere Archimedes, non poterit verò R.P. Gregorius subtilissimam illam, totque implicatam propositionibus demonstrandi viam, quâ veluti Ariadnæ filo Theseus alter labyrynthum adeò intricatam ingressus est, impeditasque semitas labore improbo, conatuque plusquam Herculeo explicuit, felicitate autem summâ cuiuis aperuit, eam inquam non poterit prætenso Quadraturæ titulo Geometris porrigere, ac veluti in manus dare?

Vt vt esset, Quadraturamque problematicè non dedisset Auctor, scio ego sciuntque rem qui excussêre, ipsam Quadraturæ inuestigandæ rationem, maiorem apud Geometras admirationem excitasse, quàm ipsa, Archimedææ insistendo viæ, exhibitio Quadraturæ potuisset exprimere; maioremque apud Iudices non præoccupatos partium studio, sibi vt Geometræ subtilissimi famam, existimationemque peperisse, hac methodo quadraturam quod indagarit, quam quod inuenerit inueniri eam potuisse non mirantur Geometræ; hàc verò viâ tam inauditâ, numquamque expectatâ quæri quod potuerit, id enimverò nemo est qui non obtupescat. Delectationi etiam summæ est Geometris videre, aliâ ex parte emersisse veritatem hanc, quæ in Geometriæ latebat fundo, quàm aliâ expectabant emersuram. sic nescio quid iucunditatis afferat, alio effodi thesaurum loco, inuenirique gemmam, quæ alio prorsus, irrito studio nequidquam quærebatur.

Quod si quid interim occurrerit alicui minùs quod placeat minusque quod faciat satis, iudicium certè Geometricum non declinat Auctor; Geometricum modo verè id sit. Vti enim se hominem nouit, ita & nihil humani à se alienum putat. orat quinimo vt scripto typis edito, agitetur potiùs discutiaturque res, quàm vt tacito murmure, per hominum ora volitet nescio quæ fama obscurior, quæ licet non euertat, obnubilat tamen apud horum ignaros, aut apud eos quibus non vacat singula discutere, obscuratque famam celeberrimi Geometræ. Quòd si quis typorum difficultatem refugiat, litteris certè scriptis, commodissimè conficiri res tota potest. sufficit autem Geometræ esse, vt gratissimæ sint acceptissimæque, cuiuscumque demum etiam ignoti P. Gregorio litteræ, noui enim hu-

manitatem facilitatemque viri, fortasis enucleabitur sic magis ipsa veritas, elucidabiturque si quid obscurius, vt in re nouâ fieri assolet, occurrerit; pluraque eo pacto in lucem fortasse venient, quæ in fundo ignorantiæ, non sine Geometriæ detrimento latuissent. Verùm Geometricè, si placet, agatur res, per nudas veritatum propositiones, demonstrationesque; neque pluribus opus est, vbi veritas sola inquiritur.

Quòd si error detegatur, tantum abest vt odium paritura sit Veritas, quòd quidem apud inanis gloriæ futiles captatores, vanosque locum habet, vt gratias etiam amplissimas Benefactori suo acturus, habiturusque sit Auctor: cùm enim summum malum quod intellectui potest obtingere, sit error, certè errorem detexisse, quod planè eum sanæ menti est detraxisse, non potest non summum esse beneficium. atque ita apud æquos Veritatis indagatores, æstimatoresque, Veritas amicitiam parit.



PARS

PARS SECVNDA

Quâ Propositionum 5. 6. 7. 8. 12. & 54.

Quæ Lib. 10. Operis Geometrici

R. P. GREGORII A Sto. VINCENTIO

CONTINENTVR

GENVINVS SENSVS DECLARATVR.

PRÆFATIO.

QVorundam ingenia, qui pro studio quo in Quadraturam Circuli ferebantur, sedulo eam & Geometricè examinare voluerunt, veritatemque propositionum, ad calculos reuocare, torserunt Propositiones quædam, quæ in Libro 10. Operis GEOMETRICI R. P. GREGORII occurrêre; eæ erant quas modò præfixi, 5. 6. 7. 8. 12. & 54. Quadraturarum vt ita loquar fundamenta & bases. Quæ quidem, vt non dissimulem quod res est, breuissimæ quod sint, obscuriores sunt, neque adeò ad percipiendum faciles; & tamen eiusmodi, vt si vel minimum ab earum mente deflectas, natæ sint in errores haud contemnendos Lectorum animos abducere, prout id nonnullis Geometris reipsâ accidisse comperio. Sed quomodo Auctori in mentem incidisse poterat, non eò modo intelligendas propositiones suas, quem earum natura ferret, aut verborum sensus naturæ rationum, de quibus agitur, accommodatus?

Visum itaque fuit è re esse eum obicem tollere, remque ipsam subtilitate suâ sanè difficilem, & distorto veritatis sensu maleq; percepto magis intricatam, quoad in me erit, paucis complanare, ne cuiquam hac ex parte posthac iniiciatur mora. Neque id à me præsertim attentari quisquam miretur, ægréve ferat: nam licèt Auctor ipse materias illas fusiùs elegantiusque alio quod molitur, vt dixi, volumine, susceperit explicãdas, non videbatur tamen diutiùs expectandum, præsertim cùm hæc sese occasio commodum obtulisset, satisfaciendi eorum desiderio, quibus hâc in parte aliquid, præter data, requiri videbatur.

Pro-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [28] - 23
PUBLIC DOMAIN

Prodromus erit itaque tractatus hic, & quasi præluſio venturi Operis. Omnium verò quæ deinceps dicturus ſum ſenſum, ex ore Auctoris accepi, & ſæpiùs quidem non vno tempore, nec vno modo datâ operâ ab eo expreſſum; quem vt percipere mihi viſus ſum, tum denique prout mihi quidem videbantur intelligenda, expoſui. Quæ, ſi Lectori Benevolo arriſerint, dubiiſque ſi fecerint ſatis, id certè Auctori ipſi acceptum referat: obſcuriora verò ſi forſan fuerint, id mihi omnino adſcribi volo, vt qui rem ſubtiliſſimam, calamo ſaltem exprimere, non vſque adeò feliciter potuerim. Fortaſſis tamen erit qui me intelligat. Propoſitionem verò ipſam, quàm vnicam pono, ſi quis primâ fronte non perceperit, Corollaria ipſa ſedulo perueſtiget, & tum demum patebit feliciternè res fuerit euoluta. Rem itaque prout poſſumus, ordiamur.

Atque à Propoſitione quintâ & ſextâ in quibus prima, imò vt patebit, vnica erat difficultas, auſpicemur.

Prop. 5. ita ſe habet. *Data ſit ratio* $\frac{A}{B}$ *ad* $\frac{C}{\ }$ *quamuis aliam quantitatem diuiſam in B & C. Dico quod ratio A ad B excedat rationem A ad BC, ratione C ad B.* Propoſitio verò 6. hanc deſtruere videtur, quæ ſic ſe habet. *Iiſdem poſitis. Dico rationem A ad BC æquari rationi A ad B, minùs ratione C ad A.*

In his verò propoſitionibus cùm contradictio primâ fronte appareret, Scholion benè longum adiectum eſt, in quo & ſenſus earum exponitur, & contradictio declaratur. Verùm cùm & illud obſcurius adhuc viſum ſit aliquibus, Propoſitiones has duas, aut potiùs vnicam, nam reuerâ in idem incidunt vt mox apparebit, hic exponimus Propoſitione vnicâ, poſitamque demonſtramus: deinde per Corollaria, ex hac vnicâ propoſitione deducta, rem totam explicamus. Ex quibus liquido apparebit, quorundam dubia, quæ deinceps exponentur, ex diſtorto tantùm huius veritatis ſenſu ortum duxiſſe; propoſitionemque ipſam, alium quàm hic eliciamus ſenſum, habere non debuiſſe, imò nec potuiſſe ſecundùm mentem Auctoris.

PRO-

PROPOSITIO.

DAta sit quæuis ratio A ad B C, cuius consequens diuisum sit in B & C.

Dico quod ratio A ad B excedat rationem A ad B C, aliquo excessu rationis, quem determinat ratio C ad B, collata ad rationem B C ad B.

$$\frac{A}{12} \qquad \frac{B}{2} \quad \frac{C}{4}$$

Aut vt alijs quidem verbis, sed in idem recidentibus, vtar.

Dico rationem A ad B excedere rationem A ad B C aliquo rationis excessu, qui ad rationem maiorem A ad B, sit vt excessus rationis quo ratio B C ad B excedit rationem B ad B, scilicet vt ratio C ad B est ad rationem B C ad B.

Demonstratio.

RAtio A ad B est ad rationem A ad B C, vt B C linea est ad B, per 7. de Proportionalitatibus P. Gregor. sed vt B C est ad B, ita est ratio B C ad A, ad rationem B ad A, per 2. eiusdem: igitur vt est ratio A ad B ad rationem A ad B C, ita est ratio B C ad A, ad rationem B ad A. Sed ratio B C ad A, superat rationem B ad A, sicut B C superat B, colligitur id ex 114. eiusdem: igitur etiam ratio A ad B, superat rationem A ad B C, sicut B C superat B. sed B C superat B excessu C qui sit v.g. duarum tertiarum totius B C; igitur etiam ratio A ad B superat rationem A ad B C excessu qui sit duarum tertiarum rationis A ad B. Sed duæ tertiæ rationis B C ad B sunt ratio C ad B; igitur ratio A ad B superat rationem A ad B C ratione aliquâ, quæ sit ad rationem A ad B, prout ratio C ad B est ad rationem B C ad B. Quod erat demonstrandum.

Corollarium primum.


HInc patet primò quomodo errent ij, qui in numeris examinare propositionem hanc dum volunt, hoc modò procedunt.

Sit, inquiunt, A 12, B C verò hoc est 6 diuisum in B quod sit 2, & C quod sit 4. Ratio A ad B est sextupla vt 12 ad 2: ratio verò A ad B C est dupla vt 12 ad 6. Excessus autem rationis sextuplæ super duplã est ratio quadrupla. & tamen in propositione iam dicitur quod excessus sit ratio C ad B, hoc est 4 ad 2 quæ est dupla. igitur ratio dupla & quadrupla, eædem sunt rationes. quod manifestè falsum est.


$$\frac{A}{12} \qquad \frac{B}{2} \quad \frac{C}{4}$$

Et hanc quidem tam liquidam demonstrationem putant, quàm vlla in Geometriâ dari possit. Verùm manifestè ostendit se propositionem hanc penitùs non percipere quisquis eam hoc modo numeris applicat, ac propterea nullo modo mirum est tam apertam falsitatem ex eâ perperam intellectâ deduci. Primò enim incommodè rationem A ad B comparatam cum ratione A ad B C vocant sextuplam comparatam cum duplâ. Deinde falsum supponunt dum dicunt excessum quo ratio A ad B excedit rationem A ad B C esse rationem quadruplam. Primum iam deduco, secundum Coroll. sequenti exponam.

Imprimis discrimen est in modo exponendi rationes A ad B, & A ad B C si sumantur absolutè, & si respectiuè ad sese inuicem comparatæ accipiantur. Absolutè enim loquendo ratio A ad B, si ad nullam rationem respectum dicat, est





ratio sextupla: hoc est numeri 6 & 1 sunt minimi numeri quibus ratio A ad B exponi potest; vti & ratio A ad B C eodem sensu est dupla; & tamen si relatiuè sumantur hæ rationes ad se inuicem, sunt vt tripla ad simplam. cum enim ratio A ad B ad rationem A ad B C sit vt B C ad B per 7. de Proportional. hoc est vt 6 ad 2, siue vt 3 ad 1, clarum est rationem A ad B C non benè exponi per rationem sextuplam ad duplam, nam hæc ipsa ratio sextupla ad duplam, adhuc in minoribus terminis exponi potest, scilicet quòd sit vt tripla ad simplam. Reducatur itaque hæc ratio 12 ad 2 ad minimos terminos, prodibitq; ratio 6 ad 1. item ratio 12 ad 6, reducatur ad minimos terminos, quorum antecedens sit etiam 6, prodibitque ratio 6 ad 3. erit itaque ratio A ad B ad A ad B C vt $\frac{6}{1}$ ad $\frac{6}{3}$ apparebitque quod illæ rationes ad minimos numeros reductæ, sint vt 3 ad 1. hoc est vt ratio tripla ad simplam.



Manifestius autem apparebit discrimen inter duas has expositiones rationū, si loco A assumatur quæuis D 24, aut E 30. remanentibus B & C. nam rursus ratio D ad B collata cum ratione D ad B C, aut ratio E ad B collata cum ratione E ad B C, est vt C B ad B per 7. libri de Proportionalitatibus. quapropter semper est ratio tripla collata cum simpla: & tamen si absolutè sumantur, ratio D ad B est ratio duodecupla, ratio verò D ad B C est ratio quadrupla; vti & ratio E ad B est ratio quindecupla, ratio verò E ad B C, est ratio quintupla si absolutè sumantur, nã vt sic, minoribus numeris eæ rationes exponi non possunt. Reducantur autē hæ rationes ad numeros minimos cōmune habentes antecedens, vt relatiuè inter se comparatæ, possint exponi iuxta sensum. Propositionis 7. de Proportional. erit ratio D ad B quidem vt 12 ad 1, & ratio D ad B C vt 12 ad 3; quare cum 12 sit commune antecedens, erunt ad se inuicem hæ rationes vt 3 ad 1. Et rursus rationes E ad B, & E ad B C reducantur ad numeros minimos qui commune habeant antecedens, prodibuntque rationes 15 ad 1, & 15 ad 3: quæ rationes cùm rursus inter se sint vt 3 ad 1, patet rursus rationem E B comparatam ad rationem E ad B C esse rationem triplam comparatam cum simplâ.

Nihil ergo inauditum aut mirum supponit discrimen illud quod statuimus in expositione rationum absolutè aut respectiuè sumptarum, si rectè percipiatur; nam id etiam locum habet, quando inter se comparantur rationes quæ commune habent consequens, quomodo communiter hactenus rationes inter se fuerunt comparatæ. Sit enim ratio L ad N, & ratio M ad N; ratio L ad N est duodecupla absolutè sumpta, vti & ratio M ad N est sextupla: nam ratio L ad N solitariè sumpta minoribus numeris explicari non potest, quam per 12 ad 1, & ratio M ad N non minoribus quàm per 6 ad 1. & tamen si comparetur ratio L ad N ad rationem M ad N, hoc est si rationem quàm habet 12 ad 6 ad minimos terminos reducere velis, dicetur quod ratio L ad N, ad rationem M ad N, sit ratio dupla cōparata cum simpla siue vt 2 ad 1. Eodem modo, ratio quidem A ad B est sextupla, & ratio A ad B C est dupla absolutè sumpta, sed quando inter se conferuntur, easque sic collatas minimis numeris exponere vis, non rectè dices esse rationem sextuplam & duplam; non enim illi sunt numeri minimi, in quibus exponi possunt rationes dictæ, nam





sextupla

sextupla & dupla cùm rursus inter se sint vt 6 ad 2, minoribus adhuc numeris cõmodius exponi possunt & debent, dicendo quòd sint vt 3 ad 1. Quid autem hæc expositio, reductioque ad minimos terminos commodi afferat mox apparebit.

Atque hoc est mysterium, quòd Lib.10. Operis Geomet. Prop.6. in Scholio assumptum fuit; quod fusius explicare opere pretium duxi, ne quis latebras putidæ isthic quæsitas fortasse suspicetur.

Corollarium secundum.

PAtet secundò manifestè excessum ipsum quo ratio A ad B superat rationem A ad B C, quem dixit Prop.5. esse C ad B, etiam non esse absolutum, sed respectiuum; adeoque errare planè eos qui putant excessum quo ratio A ad B superat rationem A ad B C esse rationem quadruplam.

E
30
D
24
A
12
B
2
C
4

Cùm enim ratio C ad B non tantùm excessus sit rationis A ad B supra rationem A ad B C, sed & rationis D ad B supra rationẽ D ad B C, imò & excessus cuiuscumque demum E ad eandem B, supra rationem E ad eandem B C; ratio autem C ad B si absolute sumatur semper sit dupla, cuinam vmquam vel leuissimè Geometricis tincto in mentem venire posset; quòd ratio A ad B superet rationem A ad B C excessu C ad B; item quod ratio D ad B superet rationem D ad B C, denique & rationem E ad B superare rationem E ad B C eodem excessu; ac propterea rationes A ad B vel D ad B aut E ad B superare eodem planè excessu absoluto, rationes A ad B C, vel D ad B C, aut E ad B C, singulas singulas: quod tamẽ dici deberet si excessus C ad B absolutè sumatur. Id autem quàm turpe foret suspicari à Geometrâ subtilissimo pronunciatum esse; res ipsa clamat, cùm falsitatis à minimo quoque Geometrâ argui possit.

Longè aliter intelligenda hæc sunt, prout in Scholio ad Prop.6. Lib.10. Operis Geomet. rectè sunt exposita. quæ si cui obscuriora videantur, hîc expono intelligenda quî sint, prout ea perceperunt ij qui nodum in scirpo non quærunt.

A
12
B
2
C
4


Dico igitur, iuxta demonstrata, rationem A ad B superare rationem A ad B C excessu rationis quam determinat ratio C ad B non qualiscumque, sed collata cum ratione C B ad B; vt asserit 5. Prop. lib.10. aut vt 6. eiusdem, quam determinat ratio C ad A relata ad rationem B C ad A: nam reuera hæ duæ propositiones, adeò sibi contrariæ non sunt, vt sint planè identicæ; cùm ratio C ad A ad rationem B C ad A, item ratio C ad B ad rationem B C ad B, sint vt C ad B C per 2.l. de Proportional. cùm consequens singulæ binariæ rationes commune habeant.

Itaque vt clariùs adhuc loquar, si tot partes rationis auferantur à ratione A ad B, quot partes rationis C B ad B aufert ratio C ad B, relinquetur tandem aliqua ratio quæ æqualis sit rationi A ad B C.


In numeris id sic declaratur. Ratio B C ad B sit vt 3 ad 1; & quia ratio A ad B collata cum ratione A ad B C est vt B C ad B, erit etiam ratio A ad B ad rationem A ad B C vt 3 ad 1, seu vt tripla ad simplam. excessus autem quo B C superat B est C, hoc est 4, cum C positum sit 4 & B 2. itaque C est ad B vt 2 ad 1. Iam vero cum ratio C ad B conferri debeat cum ratione B C ad B, hoc est dupla cum triplâ, auferet ratio C ad B duas tertias rationis B C ad B: adeoque & excessus quo ratio A ad B superat rationem A ad B C, erunt duæ tertiæ rationis A ad B.

Non igitur excessus rationis A ad B super rationem A ad B C est ratio quadrupla vt illi volebant, sed sunt quatuor partes rationis A ad B hoc est sextuplæ, quæ æquales sunt duabus tertijs rationis triplæ.

Corollarium tertium.




PAtet tertiò quis denique exceſſus, & quomodo detrahendus ſit, etiam in numeris, à ratione A ad B, vt remaneat ratio æqualis rationi A ad B C iuxta ſenſum propoſitionis. à ratione enim A ad B, item à ratione D ad B, & à ratione E ad B, detrahendæ ſunt duæ tertiæ rationis A ad B, item duæ tertiæ rationis D ad B, denique duæ tertiæ rationis E ad B: quod quidem fiet ſi A, D, E ita diuidantur vti diuiſa eſt B C in B & C; hoc eſt, auferantur ab antecedentibus duæ tertiæ, remanebit enim ex ratione A ad B ratio F ad B, hoc eſt 4 ad 2; item ex ratione D ad B remanebit ratio G ad B, hoc eſt 8 ad 2; & ex ratione E ad B remanebit ratio H ad B hoc eſt 10 ad 2, quæ æquales erunt rationibus A ad B C vel D ad B C, aut E ad B C ſingulæ ſingulis, vt conſideranti clarè patet.



Quod ſi aliud exemplum exercitij cauſſa placet; ſit ratio I ad K L vt 12 ad 8; ſit autem K L diuiſum in K 2, & L 6. ratio igitur I ad K ad rationem I ad K L eſt vt K L ad K, hoc eſt vt 8 ad 2, ſiue vt quadrupla ad ſimplam: exceſſus autem K L ſuper K eſt L, 6. ratio autem L ad K ſiue 3 ad 1, continet tres quartas rationis K L ad K. exceſſus itaque rationis I ad K ſuper rationem I ad K L, ſunt tres quartæ rationis I ad K. itaque auferantur à ratione I ad K tres quartæ, quod fiet ſi ab I antecedente auferantur tres quartæ ſcilicet 9, remanebitque M 3, adeoque & ratio M ad K 3 ad 2 quæ æqualis eſt rationi 12 ad 8.

Corollarium quartum.



ATque ex hoc Patet quarto eodem modo decreſcere rationem A ad B, per ablationem factam ab ipſo antecedente A, ſicut decreſcit per additionem factam ad B conſequens: adeoque hæc duo in idem planè recidere, modo in additione ad conſequens, & in ablatione ab antecedente, aut contra, proportio ſeruetur: quod quidem fiet ſi A ita diuidatur in D E & E F, vt B C diuiſum eſt in B & C, aut contra. Nam ſicut ſi à ratione A ad B auferas duas tertias, quod fiet ſi A ita diuidatur in E, vt E F ſint duæ tertiæ totius A, remanebit ratio D E ad B, æqualis rationi A ad B C; ita ſi ad B addas C duplum ipſius B, ſic vt C ſint duæ tertiæ totius B C, erit ratio A ad B per additionem C ad conſequens B, diminuta duabus tertijs rationis A ad B. nam ratio A ad B C, per additionem ipſius C, æqualis fit rationi D E ad B, quæ duabus tertiis minor eſt ratione D F ad B hoc eſt A ad B: eodem modo ſicut ratio D F ſeu A ad B, per ablationem duarum tertiarum totius D F, ſcilicet per ablationem E F, redditur diminuta duabus tertijs rationis D F ſeu A ad B, remanet enim ratio D E ad B.


Tota

Tota itaque hîc diminutio rationis, fit per simplicem additionem ad terminũ consequentem; quod benè notandum est; nam per additionem ad antecedens, augmentatio fit rationum. quo modo enim additur ratio $\frac{6}{4}$ ad $\frac{4}{4}$, nisi augendo 6 per 4 manente consequente inuariato vt fiat $\frac{10}{4}$, eodem modo fiet diminutio rationum, aut diminuendo antecedens, aut certè vt hic fit, per simplicem additionem ad consequens, manente inuariato antecedente.

Atque hæc est doctrina 5. & 6. Prop. l. 10. Operis Geom. quam demonstratiuè certam esse nemo negauerit. Neque quis dicat in terminis sic non fuisse propositam, nam præterquam quod mox in Scholio mentem suam Auctor ipse satis explicaret, alium sensum Propositiones ipsæ admittere non poterant, vti demonstratio ipsa satis indicabat: neque propositiones sese inuicem vt videbatur destruentes, sed reipsa idem dicentes simul iungere, in vllum Geometram, ne dicam in P. Gregorium vmquam cadere potuisset, nisi studio id ipsum fecisset ad explicandum fusius intricatam rem; quod sanè luculenter in Scholio mox præstitit.


Libet tamen ostendere propositionem etiam vt iacet non aliter debuisse intelligi. Cùm enim rationum A ad B, & A ad B C denominatores sint C B, & B, non poterat excessum istarũ rationũ determinare, nisi per excessũ denominatoris B C super denominatorẽ B; excessus autẽ erat C. Iã verò cũ excessus ille C sit antecedens rationis C ad B, illius nempè qua ratio A ad B dicitur excedere rationẽ A ad B C, clarũ erat referendũ excessum illũ ad aliquam rationem cuius pars erat ratio C ad B. illa autem ratio necessariò erat ratio C B ad B, quæ ad rationẽ B ad B, omnino ita se habet, vt ratio A ad B ad rationẽ A ad B C. Patet igitur propositionem 5. & idem est de 6. quæ eadẽ est, prout iacebat, non determinare excessum rationis A ad B super rationem A ad B C, nisi per excessum qui respectiuus est modo iam explicato, & non absolutus. Sed quia id obscurius poterat esse, idcirco adiectum Scholion, claritatis, vt dixi caussa, non necessitatis.

Verùm ad alias Propositiones gradum faciamus.



Corollarium quintum.

EX his probè intellectis, Patet 5. nullo modo chymericam esse Prop. 7. l. 10. sed veram planeque certam ac Geometrâ dignam. Ea asserit si cõsequens sit diuisum v. g. in B & C, quod ratio A ad B C, sit ratio A ad B, simul cum ratione A ad C. Patet ex dictis. nam per additionem rationis A ad C ad rationem A ad B, fit consequẽs B C maius: ac propterea ratio A ad B C minor est quàm ratio A ad B: & quidem eâ ratione minor, vt iam ostendimus, præc. Coroll. in quâ ratione per additionem C, accrescit consequens B. Vnde quoniam B per additionem C accreuit ad duas tertias, etiam per additionem rationis A ad C ad rationem A ad B, diminuta est ratio A ad B duabus tertijs; sicque ratio A ad B facta est ratio D ad B; quæ ratio eadem est cum ratione A ad B C. quare cõstat assertio.





Corollarium sextum.

HInc patet sextò errare eos qui propositionem hanc numeris exponere dum volunt, veram augmentationem rationum faciunt, cùm tamen fieri debeat diminutio rationum, vt propositio ritè exponatur, quod quidem ostendo. Sic enim argumentantur.

Ratio A ad B est sextupla, ratio verò A ad C est tripla: tripla autem addita sextuplę facit nonuplam & tamen vti patet ratio A ad B C est dupla; chymæricũ igitur, inquiunt, est dicere, quod ratio A ad B C, sit ratio A ad B simul cum ratione A ad C.

Sed vt ante prænonui, errant ipsi planè in eo






quod rationem A ad B, & A ad C exprimant per rationes $\frac{A}{B}$ & $\frac{A}{C}$: nam assumunt rationes duas quæ commune consequens habet, scilicet vnitatem, adduntque sibi inuicem antecedentes: additis autem antecedentibus clarum est fieri rationem aliquam maiorem, quam erat alterutra. In nostro autem casu, ratio A ad B, & ratio A ad C, commune antecedens habent, consequentia verò diuersa; quo casu, per additionem consequentium diminuta redditur alterutra ratio, imò vtraque solitariè sumpta.

Cùm itaque rationes A ad B, & A ad C ad numeros minimos reducere volunt (quod faciunt quando rationem A ad B vocat sextuplam & rationem A ad C vocant triplam) vt rectè stet exemplum in numeris, prout indicaui in Coroll 1. reducatur ratio A ad B ad numeros minimos, eritque vt 6 ad 1 : & ratio A ad C reducatur ad numeros minimos, quos patitur antecedens 6, prouenietque ratio 6 ad 2. addantur autem duæ consequentes 1 & 2 prouenient 3, fietque ratio 6 ad 3, qualis est ratio A ad BC, 12 ad 6.

Quòd sane verum est: neque ego quidquam hîc chymericum, imò ne abstrusum quidem agnosco, nisi fortè quod diminutio rationum quæ fit per additionem consequentium, ignota multis cùm fuerit, occasionem dederit coniungendi rationem sextuplam cum triplâ per additionem antecedentium. non aduerterint autem hic non fieri augmentationem rationum quæ fit per additionem antecedentium, sed veram esse diminutionem rationum, quæ fit per consequentium additionem, qualem requirit propositio.

Corollarium septimum.



HInc rursus Patet septimò rectè etiam propositam esse Propr. 8. lib. 10. Operis Geom. quâ dicitur, quod quando rationis A B ad C D tam antecedens quàm consequens diuisum est in quotcumque, antecedens quidem v.g. in A & B, consequens vero in C & D, quod ratio A B ad C D, sit ratio A ad C, & A ad D, simul cum rationibus B ad C, & B ad D.

Ratio enim A ad C, simul cum ratione A ad D (per quam diminuitur ratio A ad C) est ratio A ad C D, vti iam ostensum est: item ratio B ad C, simul cum ratione B ad D (per quam diminuitur ratio B ad C) est ratio B ad C D. sed ratio A ad C D, adiuncta rationi B ad C D æquatur rationi A B ad C D, cum vtraque ratio idem habeat consequens: igitur ratio A B ad C D, est ratio A ad C, cum ratione A ad D, vna cum rationibus B ad C & B ad D, quod erat demonstrandum.


In numeris id experiri si placet, operare hoc modo. A est ad C vt 5. ad 1, & A est ad D vt 5. ad 3. reducendæ enim sunt rationes illæ ad numeros minimos qui commune habeant antecedens vt ante dixi. Iraque coniunge iam consequentes, 1 & 3, exurgent 4, & ratio A ad C D erit vt 5. ad 4. Item B est ad C vt 4. ad 1 & B est ad D vt 4. ad 3; nam & illæ rationes reducendæ sunt ad numeros minimos commune habentes antecedens: adde, 1. & 3, fient 4, & ratio B ad C D erit vt 4. ad 4. Iam vero quoniam rationes 5. ad 4, & 4. ad 4. commune habent consequens scilicet 4, addantur antecedentes 5. & 4, exurgent 9, rationesque sic sibi inuicem additæ erunt vt 9. ad 4, quæ eadem plane ratio est cum ratione A B ad C D, 18. ad 8.

Ex his omnibus itaque concludo, rem planam esse & apertam, totamque difficultatem ex modo loquendi minus commodo exsurgere, & postea per operationem erroneam intricari. Volunt enim rationes quæ commune habent antecedens, tum quando inter se comparãtur vocare rationem triplam & sextuplam, &c. cum tamen tripla & sextupla commune habeant antecedens, ac propterea, quid mirum in earum additione errari, cum antecedentes sibi addi non debeant consequente inuariato, vt fit in additione verâ per quam fit augmentatio rationis, sed consequentes sibi inuicem iungendi sint antecedente inuariato, vt per eam additionem fiat diminutio rationis.

Quo

Quomodo ergo vocanda erit, inquies, ratio 12. ad 2, comparata cum ratione 12. ad 4? Certe non poteſt dici ſextupla comparata cum triplâ, ſi in minimis numeris eam comparationem exprimere vis; nam ratio 12. ad 2. ad. rationem 12. ad 4. eſt vt 4. ad 2, vocandaque eſſet dupla comparata cum ſimplâ. Aduerte tamen quod licet ratio 12. ad 2. comparata ad rationem 12. ad 4, vocetur ratio dupla comparata cum ſimplâ, ſi tamen rationem 12. ad 2. addere vis rationi 12. ad 4, ac propterea rationem 12. ad 2. reddere diminutam duabus tertijs, non poſſis duplam rationem addere ſimplæ, nam tunc ſic ſtabit exemplum $\frac{1}{1}$ & $\frac{1}{3}$, antecedenteſque erunt diuerſæ & conſequens commune; additiſque antecedentibus augebitur ratio, verum redigi debet prior ratio ad minimos terminos vt 12. ad 2, ad rationem 6. ad 1; ſecunda verò ad minimos terminos quos patitur idem antecedens. 6; ſicque demum ſtabit exemplum $\frac{6}{1}$ $\frac{1}{3}$: addanturque conſequentes, fient 3, & prodibit ratio 6. ad 3, qualis eſt 12. ad 6, quæ diminuta eſt duabus tertijs rationes 12. ad 2.

Corollarium octauum.



EX hoc Patet 8. veritas Prop. 54. Operis Geomet. l. 10. qua dicitur, ſi dentur duæ rationes A B ad C D, & E F ad G H, quarum tam antecedentes quàm conſequentes diuiſæ ſint in quotcumque A I, I B; C K, K D; E L, L F; G M, M H; rationem A B ad C D, eſſe ad rationem E F ad G H, vt rationes A I ad C K, A I ad K D, I B ad C K, I B ad K D ſimul ſumptæ, ſunt ad rationes E L ad G M, E L ad M H, L F ad G M, L F ad M H ſimul ſumptas. Patet inquam, quia, rationes quatuor primæ ſimul ſumptæ, ſiue ſibi inuicem additæ eo modo quo dictum eſt in corr. 7. ſunt ipſiſſima ratio ſiue conſtituunt ipſam rationem A B ad C D; ſimiliter ex rationibus, quatuor ſecundis ſibi additis eodem modo conſtituitur ipſiſſima ratio E F ad G H.

Atque ex hoc & corollarium eiuſdem propoſitionis fit manifeſtum, quod ſic ſe habet:


Si rationum A B ad C D, & E F ad G H partes eædem aut ſimiles rationes fuerint (in idem enim incidit rationes eſſe ſimiles & eaſdem vt patet ex l. 8. de Proportional. in opere Geom) tum totæ rationes eædem aut ſimiles erunt. Hoc eſt ſi ratio v.g. A I ad C K ſimilis ſit rationi E L ad G M, item ratio A I ad K D ſimilis rationi E L ad M H; rurſus ratio I B ad C K ſimilis rationi L F ad G M; denique & ratio I B ad K D, ſimilis rationi L F ad M H, etiam tota ratio A B ad C D ſimilis erit rationi E F ad G H, patet ex præcedenti. Atque ſic complanata eſt difficultas quæ in 2, 3, & 4. Quadratura poſſet occurrere.

Corollarium nonum.



EX Prop.8.l.10. Oper. Geom. explicatâ & intellectâ prout eam intelligimus hîc in Corrol. 7. Patet 9. quomodo intelligenda sit, & quomodo verum sensum habeat Prop.12. lib. 10. Oper. Geom.

In hâc ostenderat Auctor in casu quē proponit, quādo scilicet sunt quatuor ordines continuē proportionaliū A B C D V, F G H I V, L M N O V, Q R S T V communem habentes vltimam V, quod ratio A ad L, sit duplicata rationis C ad N, & ratio C ad N duplicata sit rationis D ad O; item quod ratio A ad Q duplicata sit rationis C ad S, & ratio C ad S, duplicata rationis D ad T. Item ostenderat quod ratio F ad L duplicata sit rationis H ad N, & ratio H ad N duplicata rationis I ad O; denique quod ratio F ad Q duplicata sit rationis H ad S, & ratio H ad S duplicata rationis I ad T.



His ita expositis & demonstratis, infert quod ratio tota A F ad L Q toties contineat rationem totam C H ad N S, quoties ratio C H ad N S, continet rationem D I ad O T.

In primo cum non esset difficultas, consequentia tamen hæc vltima visa est difficilis, imò & falsa nonnullis, cum eam in numeris per operationes varias examinare volunt. Verùm quid si non rectè eæ operationes adhibeantur? Nam cum ex Prop.8.lib.10. demonstretur hæc consequentia, certè non alium sensum Prop. hæc 12, eiusque vltima consequentia quam modo posui habere potest, quam ipsa 8. Propositio requirit; alioquin frustra ea ad demonstrationem adhiberetur. Alium vero sensum illi si affingas, quis miretur in falsas consequentias, ex eâ perperam intellectâ quempiam deuolui? Hic igitur genuinus eius propositionis sensus est; aliis verbis in idem recedentibus expositus:

Tota ratio quantitatum A F ad L Q cōstituitur ex rationibus sibi additis iuxta sensum Prop.8. iam explicatum Corr.7. quæ quidem rationes toties multiplicatæ sunt rationum earum qui sibi additæ iuxta sensum Prop.8. constituunt totam rationem quantitatis C H ad N S, quoties rationes illæ constituentes rationem C H ad N S sunt multiplicatæ rationum illarum, quæ sibi additæ iuxta sensum Prop.8. constituunt totam rationem quantitatis D I ad O T.

Quod quidem verissimum esse demōstratur ex eadem Prop.8. intellectâ prout eam intelligendam diximus Corr. nostro 7. Nam ratio totius A F ad L Q, constituitur ex rationibus A ad L, A ad Q, F ad L, F ad Q: item tota ratio C H ad N S constituitur ex rationibus C ad N, C ad S, H ad N, H ad S: denique tota ratio D I ad O T, constituitur ex rationibus D ad O, D ad T, I ad O, I ad T. Ostensum autem erat in casu iam posito rationem A ad L esse duplicatam rationis C ad N; rationem verò C ad N duplicatam esse rationis D ad O; item rationem A ad Q duplicatam esse rationis C ad S, & rationem C ad S duplicatam esse rationis D ad T: rursus ostensum rationem F ad L duplicatam esse rationis H ad N, rationem verò H ad N duplicatam rationis I ad O; denique rationem F ad Q duplicatam esse rationis H ad S & rationem H ad S duplicatam esse rationis I ad T. Igitur patet rationem

tionem totam A F ad L Q constitui ex rationibus toties multiplicatis rationum earum, quæ constituunt rationem totam C H ad N S, quoties eæ rationes quæ constituunt rationem totam C H ad N S sunt multiplicatæ rationum, quæ cõstituunt rationem totam D I ad O T.

Quo posito, cum ratio A F ad L Q non differat à rationibus iis simul sumptis quæ constituunt rationem A F ad L Q per combinationem iam explicatam Corrol. 7. quæ vera est detractio simul & additio, idemque verum etiam sit in rationibus C H ad N S, & D I ad O T, patet iam quo sensu verum sit, rationẽ A F ad L Q toties continere rationem C H ad N S, quoties ratio C H ad N S continet rationem D I ad O T. continet nempè ratio A F ad L Q rationes eas ex quibus constituitur, quæ quidem toties multiplicatę sunt rationum earum quas continet ratio C H ad N S & ex quibus ipsa cõstituitur, quoties rationes quas continet ratio C H ad N S & ex quibus constituitur, multiplicatæ sunt rationum quas continet ratio D I ad O T & ex quibus constituitur,

Corollarium decimum.


HInc Patet 10. eos falli qui existimant in hac propositione dici, aut saltem debere dici, si ratio A ad L sit duplicata rationis C ad N, & rursus si ratio F ad L sit duplicata rationis H ad N, &c. (reliquas combinationes omitto vt verbis parcam) quod etiam ratio A F ad L sit futura duplicata rationis C H ad N: quod tamen nonnulli putantes sine vllo dubio, & absque controuersiâ in hac propositione supponi, falsum id tamen esse in numeris inueniunt. neque errant; falsum id enim verè est, patetque id sine longis ambagibus. Nam vt rationi A ad L quæ duplicata ponitur esse rationis C ad N, addatur adhuc vnâ ratio F ad L, sic vt conflatum ex illis rationibus, scilicet ex ratione A ad L & alterâ illâ ratione adiectâ, duplicatam habeat rationum C ad H & H ad N conflatarum in vnam rationem, debent imprimis rationes C ad N, & H ad N coalescere per multiplicationem: fiat itaque vt H ad N, ita N ad X, eruntque rationes C ad N, & H ad N sibi additæ per multiplicationẽ, prouenietque ratio C ad X. iam vero cum ratio F ad L posita sit duplicata rationis H ad N, hoc est N ad X, fiat vt F ad L, ita L ad V, erit & ratio L ad V duplicata rationis N ad X, totaque ratio A ad V erit duplicata rationum C ad N & H ad N sibi additarum per multiplicationẽ per 75. lib. de Proportional. longè autem alia est ratio A F ad L quam A ad V. Quis id ignorat qui in rationum natura aliquomodo est versatus? & id P. Gregorius non animaduerterit, qui rationum scientiam adeò amplificauit vt passim notum est, quique rationibus quibuscumque æquè commodè vtitur ac Euclides lineis?

A	F	C	H
L		N	
V		X	

Caussa itaque quare istæ rationes A L ad F L additæ sibi inuicem prout vult Propos. 12. licèt singulæ duplicatæ sint rationum C ad N, & H ad N, non constituant tamen aliquam rationem A F ad L quæ sit duplicata rationis C H ad N manifesta est, quia rationes A ad L & F ad L non coalescunt per multiplicationem, sed per veram additionem; siue quia non coalescunt istæ rationes vt multiplicatæ sunt rationum C ad N, & H ad N, sed vt rationes simplices sunt. Eodemque modo rationes C ad N & H ad N non coalescunt per multiplicationem, nam vt sic faciunt rationem C ad X vt iam ostensum est; coalescunt autem & rationes C ad N, & H ad N per meram additionem rationum, vt rationes simplices sunt, non autem vt multiplicantur per rationes alias. Imò vt pressius loquar nullâ operatione hic opus est, nam citra vllam additionem extrinsecam, coaluerunt iam rationes C ad N & H ad N in ratione C H ad N, quia reuera ratio C H ad N eas actu continet. idemque est in reliquis rationibus obseruandum.

Rationes portò A ad L, & F ad L licèt reipsâ duplicatæ sint rationum C ad N, & H ad N singulæ singularum, non tamen vt sic consideratæ mutationem vllam in se accipiunt; quare manet ratio A ad L, & F ad L siue considerentur in ordine ad

ad rationes C ad N, & H ad N ſimpliciter vt rationes ſunt, ſiue conſiderentur vt duplicatæ ſunt earundem. Additæ autem hîc conſiderantur vt ſimplices rationes ſunt, per meram additionem; aut ſi conſequentes etiam diuiſæ ſint, per meram additionem & detractionem, modo explicato Corrol. 7.




Quòd ſi petas quoties ergo ratio A F ad L multiplicata ſit rationis C H ad N; reſpondeo id ad hunc diſcurſum minimè determinari debere, nec requiri: non enim indagatur hîc ratio duorum totorum inter ſe, ſed aſſumitur tertia quædam ratio D I ad O, quæ cum talis eſſe reperiatur, vt rationes omnes eam conſtituentes, toties multiplicentur à rationibus conſtituentibus rationem C H ad N, quoties rationes hæ multiplicantur à rationibus conſtituentibus rationem A F ad L, infertur quod ratio A F ad L contineat toties rationes conſtituentes rationem C H ad N (quæ ſunt ipſiſſima ratio C H ad N) quoties rationes conſtituentes rationem C H ad N (quæ ſunt ipſiſſima ratio C H ad N) continent rationes conſtituentes rationem D I ad O, quæ ſunt ipſiſſima ratio D I ad O. Non autem id infertur ex eo quod ratio A F ad L ſit duplicata rationis C H ad N, & quia ratio C H ad N duplicata eſt rationis D I ad O: nam id quidem planè falſum eſt, nec vmquam aſſumptum vel per vmbram in diſcurſu P. Gregorij.

Nam ex eò quod ratio A ad L duplicata ſit rationis C ad N, & ratio C ad N duplicata rationis D ad O, quid inferes quod rationi A ad L in ordine ad rationem C ad N competat, quod ſimul etiam competat rationi C ad N in ordine ad rationem D ad O? An quod ratio A ad L toties ſit duplicata rationis C ad N, quoties ratio C ad N duplicata eſt rationis D ad O? hoc autem nihil planè ſignificat. Quid enim eſt toties eſſe duplicatam rationem alterius rationis, quoties hæc altera ratio duplicata eſt cuiuſdam tertiæ? Rectè tamen inferes quod ratio A ad L eo caſu toties multiplicata ſit rationis C ad N, quoties hæc eſt multiplicata rationis D ad O, quia vtraque alterius eſt duplicata: & quod ratio F ad L toties ſit multiplicata rationis H ad N, quoties hęc eſt multiplicata rationis I ad O, ob eandem rationẽ. Quando verò dicitur quòd ratio A F ad L toties contineat rationem C H ad N, quoties hæc ratio continet rationem D I ad O, hoc non infertur vllo modo, ex eo quòd ratio A F ad L ſit duplicata rationis C H ad N, & quod ratio C H ad N duplicata ſit rationis D I ad O, ſed ex eo quòd ratio A F ad L contineat tot rationes ex quibus conſtituitur, quæ toties multiplicatæ ſunt rationum earum quas continet ratio C H ad N, & ex quibus conſtituitur, quoties eæ rationes quas continet ratio C H ad N, & ex quibus conſtituitur, multiplicatæ ſunt rationum earum quas continet ratio D I ad O & ex quibus conſtituitur, vt iam ſæpiùs dictum. Iuuat enim ſæpiùs idem, & diuerſis modis aliquando dixiſſe, vt tandem percipiatur quis ſenſus ſit Auctoris.

Latet hîc quidem aliud quoddam myſterium, ex quo oſtendere poſſem rationes has minimè eſſe poſſe duplicatas, & tamen verum eſſe quòd toties ſint multiplicatę prima ſecundæ, quoties ſecunda multiplicata eſt tertiæ; ſed quia longioris id eſſet diſcurſus, maioriſque moliminis quàm vt libello hoc id explicari poſſit, viſum id fuit omittere: præſertim cùm Auctor ipſe in deductione harum materiarum, quam præ manibus habet, id luculenter ſit præſtiturus.

Corol-

Corollarium vndecimum.



EX his Patet 11. errare rursus eos qui ex Prop. 12. putarunt sequi rationes A F ad L, C H ad N, D I ad O esse rationes cõtinuè proportionales. Nã, inquiunt, ratio A F ad L duplicata est rationis C H ad N, & ratio C H ad N, duplicata rationis D I ad O. igitur rationes eæ sunt continuè proportionales. Atque hoc modo rursus Propositionem 12 examinare dum volunt, inueniunt rationes A F ad L, C H ad N, D I ad O non esse continuè proportionales.

Sed quid mirum si ex errorè supposito, veritatem, quam sibi imaginantur sequi debere, non eliciant? Nam imprimis nusquam assumptum est rationem A F ad L duplicatam esse rationis C H ad N; & hanc rursus duplicatam rationis D I ad O. nam hoc falsum esse iam ostendimus.

Deinde vt hoc assumeretur, tamen minimè sequeretur rationes eas esse continuè proportionales. Quod quidem in numeris priùs ostendo, deinde id ipsum Geometricè demonstraturus.


Suppono ex I. de Proportionalitatibus P. Gregorij, si tres continuè proportionales rationes exhibitæ fuerint, rationem mediam in se ductam, idem producere, quod ratio prima ducta in tertiam.

Sit iam A, B, C, D, E ordo quinque proportionalium. Ratio A ad E duplicata est rationis C ad E: ratio autem C ad E duplicata est rationis D ad E. non tamen ideò rationes A ad E, C ad E, D ad E continuè proportionales erunt. quod sic patet.

Fiat vt C ad E, ita E ad F; tunc ratio C ad E ducta in se producet rationem C ad F. Item ducatur ratio D ad E in rationem A ad E siue fiat vt D ad E ita E ad G; prodibitque ratio A ad G, hoc est B ad F. patet autem rationem B ad F eandem non esse cum ratione C ad F. non igitur sunt rationes A ad E & C ad E, deinde D ad E proportionales, quamuis duplicata sit ratio A ad E rationis C ad E; quemadmodum hæc ipsa ratio C ad E, est duplicata rationis D ad E.

64	32	16	8	4	2	1
A	B	C	D	E	G	F

Confirmabitur hoc ipsum simili ferè discursu. Ponantur denuò quãtitates A, B, C, D, E continuare eandem rationem A ad B. erit itaque ratio A ad E duplicata eius quàm habet C ad E: & similiter C ad E duplicata rationis D ad E. cumque habeant tres hæ rationes commune consequens erit ratio A ad E ad rationem C ad E, vt A ad C per propositionem secũdam libri de Proportionalitatibus: & ob eandem causam erit ratio C E ad D E, vt est C ad D. quia verò rationes eædem esse supponuntur propter continuationem, erit ratio A ad C duplicata rationis A ad B, hoc est duplicata C ad D. quare ratio A ad E, C ad E D ad E proportionales non sunt, cum termini A, C, D proportionales esse non possint.




FINIS.

BIBLIOTHECA
REGIA
HANNOVERANA

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [41] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [42] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [43] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 856 525

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [44] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [45] - -

PUBLIC DOMAIN



Signatur: Leibn. Marg. 230, Stück 2, [46] - -
PUBLIC DOMAIN